CARDINALIVM, ARCHIEPISCOPORVM, EPISCOPORUM,

Cæterorúmque qui ex universis Regni Provinciis, Ecclesiasticis Comitiis interfuerunt;

DE

ANONYMIS QUIBUSDAM & famosis libellis

SENTENTIA.

LVTETIÆ PARISIORVM,

Apud ANTONIUM STEPHANUM, Typographum Regium, viâ Iacobæâ, ad insigne Olivæ Rob. Stephani.

M. DC. XXV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

1445:02

CARDINALIVM, ARCHIEPISCOPORVM, EPISCOPORUM,

Caterorúmque qui ex univerſis Regni Provinciis, Eccleſiaſticis Comitiis interfuerunt;

DE

ANONYMIS QVIBVSDAM & famoſis libellis

SENTENTIA.

CVm Eccleſiaſticis totius Regni Comitiis, in civitate Pariſienſi, de Rebus Ordinis noſtri conſuleremus, Liber ad nos perlatus fuit (Admonitio ad Regem, titulus erat) qui ſine Authoris nomine editus, eò potiſſimùm dicebatur ſpectare, ut improbato Regis conſilio, ejus authoritatem minueret, Majeſtatem deprimeret; Optimates ad diffiden-

tiam, Populum ad seditionem concitaret; & unà cum Mysteriis Politicis, quæ ab eadem officina prodierunt, Galliæ perniciem & excidium moliretur. His itaque semel atque iterum accuratè perlectis, Primò quidem indoluimus in tantum conualuisse nefariorum hominum nequitiam, ut qui in Reges nostros anteà parricidarum manus impulerant, iidem ipsi in Successoris famam & securitatem atrocissimum stylum exerceant. Deinde cùm videremus egregium illum admonitorem, subdolo Catholicæ Religionis obtentu, contra salutem Regis, Regnique tranquillitatem grassari; nostrarumq; esse partium duceremus, providere, non solùm ne Germana Religio pessum eat, sed etiam ne falsa prætextu pietatis irrepat, obviam eundem periculo putavimus. Quamvis enim oratione blanda, & ad modestiam primùm composita, venenum occultet, humilitatem profiteatur, charitatem ambitiosè jactet, Theologiam præ se ferat, pacis authorem pronuntiet, vt speciosis nominibus facilius incautis mentibus illabatur, monemus, non aliter, vel ab ipso limine, considerandum, quàm Medicos; quorum Tituli remedia habent, pyxides venena. Quis enim ex libertate, Theologum; ex ficta Charitate, Civem; ex simulata Pietate, Amicum; ex fucatis blanditiis, Regi Subditum non putasset? nisi postea, dum tam libere contra Regiam Majestatem debacchatur, judicasset reperiri non posse in subdito tantam superbiam, ut Regem accuset; in amico tam virulentam acerbitatem, ut imprecetur; in cive tam atrocem perfidiam, ut patriæ quærat excidium; in Theologo tam putidam arrogantiam, ut Principum, Rerumpublicarum, belli pacisque jura ad sui sensus trutinum revocet, expendat, probet, impro-

improbet, in Reges denique ipsos imperium exerceat. Hostem itaque esse deprehendimus, non pacis interpretem, sed seditionis buccinatorem, & ubique Regiæ Majestatis prophanatorem; qui non ut Regem admoneat, sed ut universum Regnum commoveat & incendat, faces in vulgus emittit: cui tanto impensiùs à nobis est obsistendum, quanto magis eniti decet, ne Religionis simulatæ prætextu quidquam adversus puram & infucatam pietatem quod in publicæ pacis & domesticæ tranquillitatis damnum vertat, civium animis imprimatur. Iam enim antea sæpe comperimus, eam esse grassatoribus illis impiis consuetudinem, ut cùm perniciem aliquam Regno moliuntur, signa sui motus eventilatis chartis præmittant; ut serpens quod vibratâ cuspide virus parat, sibilo prænuntiat; noxius austri flatus, pestem, quam ciet antecedit; crispatur leviter mare, & sentit se moveri antequam in fluctus assurgat: ita gladiorum licentia linguæ temeritate præludit: quæ postquam Principum patientiam contumaci sermone tentavit, ad perduellionem audacior erumpit. Quare ut Gallici nominis hostes frustra se laborare sciant, dum Regis constantiam lacessunt, & populi fidem sollicitant, placuit, unanimi totius Ordinis consensu profiteri quid nos de hujusmodi contumeliis sentiremus, & quid aliis sentiendum præscriberemus. Quod quidem ut faciliùs præstari possit, haud abs re videtur, hominis consilium, & paræneseos (egregiæ scilicet) epitomen paucis comprehendere.

Primò quidem ut insidias quasdam faceret auribus, se civem, se Theologum & belli dissuasorem advertare profitetur, deinde pericula fingit inextricabi-

lia, tragicos eventus ominatur, & quâ est temeritate, minatur: Crescit audacia, arma Regis damnat injustitiæ; fœdera, impietatis; consilium, perfidiæ; Regni optimates, perduellionis. Vbi in nos virus evomuit, excurrit ad exteros. Veneto Senatui exprobrat Atheismum; Sabaudo levitatem & avaritiam; Reliquos omnes fœderatos suspicione perfundit: Putares in orbem censuram exercere. Rursus cùm se latiùs diffudit maledicendi licentia, ad nos redit: illatas à Calvinistis contra Lutheranos in Germania clades Gallo adscribit, & quâ est impudentiâ, Regem profamulitio Diaboli pugnare contendit. Postremò (ô parricidium) Clementissimo, Iustissimo, Religiosissimo Regi, quòd fœderatis periclitantibus, obsessis, exulibus, afflictis, pro jure gentium opem ferat, (horremus elogia,) damnationis æternæ minas intentat. Hæc sunt præcipua tela, ne dicamus omnia, quibus Regem, Regnumque petit, hæc convitia, quibus Sanctissimam Rempublicam & Catholicos Principes insectatur. Quæ quidem, ut retunderentur, promptius fortasse fuisset negligere, quàm objecto veritatis clypeo excipere: nisi quis silentium in conscientiam verteret; Et quoniam in Religione turpiter aucupium quærit, quo Principum majestatem in contemptum adducat; æquum est, ut quæ Christiana religio de Regum authoritate credenda præponit, citra fucum adulationis aut detractionis invidiam, aperiamus.

Reges à Deo esse, præter publicum omnium gentium atque sæculorum consensum, etiam Prophetæ denuntiant, Apostoli confirmant, Martyres con-

confitentur, neque tantùm à Deo, sed etiam Deos. Quod quidem non servilis ethnicorum assentatio in gratiæ lenocinium effinxit: sed ipsamet veritas in ipsis sacrorum codicum oraculis tam apertè declaravit, ut negare, sine blasphemia; dubitare, sine sacrilegio nemo possit. Dii itaque qui vocantur, consequitur ut sint, non essentiâ quidem, sed facultate; non naturâ, sed gratiâ: non ad perpetuum, sed ad tempus; utpote qui in terris, Dei Opt. Max. vice fungantur, & ejus imaginem, Majestatis imitatione mortalium oculis exhibeant. Nemo est enim adeó plumbeæ mentis, qui cùm eum intuetur cujus nutu tot hominum millia prodeunt in aciem, tot manus ferrum stringunt ad vindictam, aut comprimunt ad veniam, qui nobilitatem obscuris, egenis ubertatem, exulibus patriam, afflictis perfugium, & quibus libuerit fœlicitatem impertiatur; qui denique suorum omnium fortunas, vitam necemque in manu habeat: Nemo est, inquam, qui non eum aliquid supra mortalitatem esse Deo proximum aut simile suspicetur, credat, cogitet. Quibus enim Deus potestatem suam communicavit, iisdem Majestatis suæ partem, quæ saluberrima est imperii tutela, non denegavit; ut populos sibi subditos non tam armorum terrore ad parendum cogerent, quàm ut impressa eorum animis quasi divinæ Majestatis veneratione in obsequio benignè continerent.

NIHIL enim est ad communem omnium fœlicitatem accommodatius, nihil ad publicam tranquillitatem utilius, quàm si subditi, quibus parendi necessitatem divina voluntas imposuit, Præpositis,

atque

atque Magistratibus citra tergiversationem obtemperent. Id enim natura non solùm hominum ingeniis insevit, sed etiam belluarum sensibus ingenuit, ut antecedentes sequantur duces, regibus suis obediant, & pro eorum salute sollicitas excubias agant. Apiculæ Regem domi colunt, foris ambiunt, volantem stipant, vacillantem fulciunt, laborantem sustinent, deficientem humeris imponunt, periclitantem etiam vitæ dispendio protegunt. Adeò naturæ leges firmæ validæque sunt, ut quæ hominum consensu vigent, animalium institutis comprobentur. Nam si ab omnibus his qui vel prudentiâ vel authoritate in rebus publicis optimè constitutis floruerunt, exempla petamus & consilia, intelligemus profectò, nihil esse tam aptum ad jus conditionemque naturæ, quàm imperium, sine quo nec domus ulla nec civitas, nec gens, nec universorum hominum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest; támque parêre quàm imperare utile est & necesse: Præcipua siquidem, vel potiùs omnis imperii vis in consensu obedientium sita est. Si enim subditis Regum statuta liceret expendere, quænam esset magistratuum authoritas? si, non probare, quæ Principum potestas? si, condemnare, quæ rerum publicarum securitas? Ruerent in dominos servi, in patronos clientes, in parentem liberi; & omnis civilis status disciplina pessum iret, privatæ domus discordiis, seditionibus urbes, Provinciæ rapinis, omnia tumultu flagrarent: Gentium jura corruerent, & in pristinum chaos cuncta recíderent, si major numerus excusso paucorum jugo omnia sui juris

ris faceret Quænam enim ſpes eſſet eum juſtè imperare poſſe qui ne prudenter quidem parêre poſſit?

QVARE illud ipſum quod lex humana non permittit, divina vetat; dum fraudem omnem atq; contradictionem ſervis erga dominos prohibet. Quid ergo ſi iniqui fuerint? abſit ut cujuſquam impotentiam, libidinem & injuſtitiã probemus. Sed ſi ſenſum Scripturæ quæris, nullâ ex parte rebellandi conſilium habemus; ſalva religione parendi præceptum habemus: quamvis fortunas eripiat, libertatem tollat, ſervitio premat, & quæcunque Deus poſtulantibus Regem futura denuntiat, in ſuorum ruinam meditetur, tamen parendum eſt Regi quantumvis dyſcolo; quia Deus eum inſtituit, parendum eſt domino quantumvis moleſto; quia Deus cum talem eum futurum prævideret, nihilominus præpoſuit. Regem, ut parentem, ſi bonus eſt, amare; ſi malus eſt, ex divinæ voluntatis decreto ferre debemus. Quid ſi Religionem ipſam expugnet, ferro ſæviat, rurſus ad martyrium fideles vocet, quantumvis Hæretici reclament? tamen ſi Evangelio acquieſcere velimus, ſatius eſt fuſo ſanguine cæleſtem victoriam reportare, quàm educto gladio Chriſtianæ patientiæ famam lædere: Quam quidem noſtram ſententiam improbare nemo poteſt niſi qui Chriſti præceptum ſimul & exemplum improbet, niſi Martyribus cùm rebellare poſſent, modeſtiæ gloriam eripiat, & creſcenti Eccleſiæ ignaviam exprobare velit, quòd numero fortior, ferrum Imperatoribus quo ſæviebant non extorſerit. Ea ſiquidem eſt non Chriſtianorum ſed Hæreticorum contumacia, qui

vel

vel leviſſimo metu Religionis ad arma concurrunt, leges calcant, jura violant, & à Deo ordinatæ poteſtati, quâ poſſunt viâ, reſiſtunt.

CHRISTVS autem jam tum natus, immò naſcens, immò antequam naſceretur, ad edictum Cæſaris advolavit, neque denegavit obedientiam, cui jus imperandi tradiderat; ſub ejus Prætore quamvis innocens accuſari non erubuit; judiciũ quantumvis iniquum patienter tulit, vim illatam, crucem oblatam, mortem deniq; non recuſavit; quamvis in manu legiones Angelorum adeſſent; quamvis in ſuâ morte videret in Chriſtianorum omniũ vitam ſententiam ferri. Eccleſiæ priſcos Annales revolvite, parem in Apoſtolis, parem in Diſcipulis, patientiam invenietis, parem in Martyribus conſtantiam. Cùm jam latè propagata fides eſſet ubique quà patebat orbis Romanus, Chriſtiani in carnificinâ crudelitatis, ferro, flammâ, belluis fidem probabant, atque patientiam: neq; inter optimam conſcientiam & iniquiſſimam fortunam conſtituti provocabant ad arma; quibus ſumptis numero pares extitiſſent & virtute ſuperiores; cùm urbes, inſulas, municipia, caſtra ipſa, Senatum, forum impleviſſent; & omnes tam libenter ad cæleſtem victoriam per ſupplicia properarent.

QVARE alias leges quàm à Chriſtianâ diſciplinâ profectas quærant, qui ſatius eſſe putant rebellare quàm pati. Vnde novum jus è cælo defluxit ut credant nobis licere, quod Apoſtolis & Martyribus non licuit? an in fide propagatâ jus eſſe, quod in naſcente & jam adultâ nefas fuit? Nuſquam Chriſtianus

ſtianus aliud eſt: unum Evangelium & idem Ieſus. Qui aliter ſentiunt, fidem in factionem convertũt, & ex alienâ credulitate ſibi dominum & gloriam quærunt.

NEQVE tamen in gratiam Regum injuſtam dominationem adſtruimus: à cujus periculo tantum abſumus quantum diſtamus à metu: ſed fidei, Regi, veritati debitum & neceſſarium non denegamus teſtimonium. Atque adeò quæ ſentimus, tanto liberius profitemur, quia ſcimus ſub quo Rege vivamus; Neque enim ſumus ita rerum noſtrarum negligentes, ut ignoremus quantopere Religionem colat; nec tam ingrati, ut inficiemur eum eſſe talem qui ſynceram pietatem vel ſceptris ſuis anteponat.

INDE fit ut cùm quiſque teneatur eum imperii ſtatum, in quo natus eſt, colere, amare, complecti, & ad eum non modò tuendum ſed etiam amplificandum omni ope niti, cùm à Deo præſertim ita ſit inſtitutum atque imperatum: tantum abeſt ut qui Catholici non tam videri volunt quàm eſſe, Regum dicta, facta, cogitata ad proprii ſenſus libidinem interpretentur, & quaſi cenſoria virgula notent; quin etiam ea votis promovere, atque alere gloriâ tenentur. Cùm enim Principum ingeniis præſentius adſit divinæ bonitatis auxilium, quàm privatis hominibus, non minorem injuriam Deo faciunt qui ei de Regibus judicandi poteſtatem, quam ipſe ſibi ſoli reſervavit, præripiunt, quàm Regibus ipſis, qui ſolius Dei judicio ſubjacent. Quapropter David adulterio coinquinatus & homicidio,

micidio, tamen se soli Deo peccaviſſe ſuſtinebat, quia Rex erat, & alium non timebat ; quia Rex erat, nullis ipſe legibus tenebatur : quia liberi ſunt Reges à vinculis delictorum, neque ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperii majeſtate. Homini ergo non peccavit, cui non tenebatur obnoxius. Quis enim poteſt dicere Principi cur ita facis? Tamen iſte ſycophanta, quò ſe Theologum probet, diſtrictè in contemptum Regis arguit, magiſtraliter definit, affirmat audacter, probat inſidioſè, calumniatur apertè, diabolicè concludit.

Cum illud in principatu beatiſſimum, quòd nihil cogi poſsit ; tum illud certè eſt maximum, quòd penes eum pacis bellique poteſtas ſit. Ejus eſt enim legem legere, ut cui rerum judicium cœlitus datum, ſubditis obſequi gloria relicta ſit, nam in civili diſciplina, ſicut in cæteris artibus, aliquid eſſe primum expedit ad cujus nutum reliqua moveantur atque conſiſtant. Et niſi cardinibus illis ſcientiarum, quæ Principia vocantur, conſenſus accedat, nec veritas inquiri, nec falſitas dignoſci, nec ulla diſceptatio convenienter inſtitui poteſt; aliquam eſſe regulam oportet ad quam cæterarum rerum, quæ in compagem coëunt, rectitudo probetur, aut pravitas corrigatur. Ita naturalis ordo mortalium paci accommodatus hoc poſcit ut ſuſcipiendi belli authoritas penes Principes ſit ; qui non liberi ſolùm impedimentis omnibus, ſed Dominirerum temporúmque, trahunt conſiliis cuncta, non ſequuntur. Eorum verò conſilia explorare, temeritatis; eventilare, perfidiæ ; reprehendere, perduellionis

lionis est intolerandæ : neque enim aliter imperii vis constare potest, quàm si uni ratio reddatur. Vt enim pretiosa unguenta si alienum aërem admittunt, proprias vires amittunt; ita Regum consilia, quæ apud Hebræos, arcana dicuntur, si populo innotescant, quod antea erant, hoc ipso esse desinunt, quòd innotescant. Quare Regum sapientissimus monet ne largiùs vinum Principibus propinetur, ne fortè quod in Consilio prudenter statutum est, in convivio per ebrietatem evulgetur. Romanos Imperatores legimus, Sphyngem in annulo, Minotaurum in militaribus signis habuisse, ut pacis belliquè consilia in occulto esse debere significarent. Tamen quamvis Regum corda sint inscrutabilia, quamvis scrutator Majestatis opprimendus sit à gloriâ; (Ille fatuus qui non potest diligere nisi quod sibi placet, extraneus ille cui nihil arcani patere debet, perfractis pudoris & reverentiæ claustris in arcanum Regis irrumpit:) Societatem cum Venetis & Sabaudo initam scelus vocat, auxilium Rhætis contra Vallitelinos datum, latrocinium; fœdus cum cæteris Principibus, quo possit injusta quorundam dominatio reprimi, inexpiabile crimen. Quibus breviter respondendum fuerat. Regem societatem iniisse, quia placuit, quia licuit; bellum suscepisse, quia justum est, vel potiùs justum esse quia suscepit; hæc inquam erant respondenda, nisi singula percurrendo hominis improbitatem, & Regis æquitatem apertiùs innotescere posse judicaremus.

Quid enim est quod in Republicâ Venetâ reprehendi jure possit? An fides? Catholica est. an fœdus?

fœdus? jam tot ſæculis contractum commodo noſtro, orbis Chriſtiani tranquillitati profuit. Ampliſſimo Senatui, apud quem infucata pietas ſibi domicilium conſtituit, partim Atheiſmum exprobrat, partim malè inter ſe conſentientium diſſidia mentitur, meliorem partem a majori victam inſidiosè ſubjicit; diſcordiæ pomum miſerat, ſi fœminas inveniſſet.

QVOD in Sabaudi fœdere reprehendat nec ipſe ſatis veriſimiliter comminiſci poteſt. Quæ tandem injuria, ſi clienti propinquo, amico fratri adverſus Genuenſes, Regni deſertores, qui etiam Lutheranorum auxilia convocarunt, debitum & expectatum præſtamus auxilium? Itáne verò? Rex, quem tot populi firmiſſimum eſſe ſalutis ſuæ præſidium ſtatuerunt; ad cujus fidem tamquam ad tutiſſimum in ærumnis portum, vitam fortunáſque detulerunt, inermis, ſupinus, decuſſatis manibus, ſociis injuriam fieri, eorum jura invadi, expugnari, profligari contemplabitur; & in alieno damno ſuum periculum conſiderabit? diripiantur urbes, vicinorum incendiis Provinciæ noſtræ colluceant, audiamus è proximis urbibus cadentium fragorem tectorum, fœminarum ululatus, pereuntium gemitus, defluat in ripas noſtras effuſus ſociorum ſanguis, volitet hoſtis in propinquo, & patientiæ noſtræ ferociter inſultet, interim ceſſabimus otioſi, tam de ſociali ſalute, quàm de proprio diſcrimine ſecuri; neque manum tollere, neque pedem movere fas erit, ne tam peſtilentes Theologiæ commentatores oblatrent?

QVOD

QVOD ad Vallitelinos ſpectat, cùm Rex, Hæreticorum factionem in Aquitania profligaret armis; neque magis imperium ſuum quàm Romanam fidem ſtabiliret; Vallitelini à Rhætis quorum ditioni ſuberant, defecerunt; támque nefariæ perduellionis in exterorum armis præſidium adverſus dominos ſuos invenerunt. Rhæti pro veteri ſocietate, quam tot antè ſæculis habent, Regis Chriſtianiſſimi auxilium implorant; quid æquius fuit, quàm ſociis laborantibus, de ditione, de ſalute periclitantibus, contra deſertores opitulari? Cùmque res eò deveniſſet ut neque conſcientiæ ſuæ nocere, nec ei quem parentis loco colit, diſplicere vellet, totius Regni omniúmque ordinum primarios, & è noſtris comitiis delectos, non magis in Regem fide quàm in fidem pietate conſpicuos, convocavit; ut quid de Vallitelinis agendum ſalva conſcientia videretur, conſilium darent. Ibi ſtatutum fuit & decretum, liberum & integrum eſſe Regi Chriſtianiſſimo, imò & debere ſociis ſuis atq; fœderatis (nempe Rhætis) contra rebelles (id eſt Vallitelinos) auxilium ferre.

QVID ergo eſt quòd cælum ac terras miſceant, minas intentent, convicia (adeò exceſſit animis reverentia) in regiam majeſtatem evomant? quòd ſcilicet cum Calviniſtis Principibus fœdus jam antea contractum pepigerit, eo ipſo tempore, quo Catholici Principes nobis infeſti, cum Lutheranis ſocietatem inierunt? Nec non ex ea quam cum Turcis pacem habemus, potiùs quàm ſocietatem, invidiam Regi regnoq; faciunt? Equidem eorum ſententiæ,

libenter accederemus, si cum exteris, eo fine societas iniretur; non ut afflictis, miseris, exulibus Principibus, quæ à Deo acceperant imperia restituantur, aut conserventur; non ut quorundam libido quos nimia fœlicitas avidos facit, ab alieni dominatione imperii summoveatur: libenter inquam iis assentiremur, si eo consilio societas inita fuisset ut fides pereat, regnet hæresis. Quam quidem esse Principis nostri mentem, tantum abest à suspicione quantum à veritate: nihilominus tamen id ejus esse consilium quam magni velint emisse, quos ille terrâ marique tot annos in oppidis & arcibus circunfuso milite tamquam plagis inclusos cum inediâ luctantes tenet. Vt autem temerariam, ne dicamus Hæreticam, opinionẽ illiam enervemus; quæ non tam Catholicis ad tutelam quàm Hæreticis ad rebellionem accommodata est, quâ volunt, cum diversæ Religionis hominibus nullam principi societatem ineundam; nónne constat vel ex ipso Sacrarum paginarum testimonio Principes, licèt infideles (& consequenter Hæreticos) legitimos esse? ac proinde cum his, tamquam legitimis, societatẽ & amicitiam contrahi posse? Certè Abrahamus cum Abimilech infideli societatẽ pro se suisque pepigit; Loth cum Sodomæ Regibus pacto fœdore copias consiliáque conjunxit: Iacob societatem immò & affinitatem Laban idolatræ concupivit: Heber cum infidele Iabin, David & Salomon cum Ægyptiis Tyriisque Regibus, Machabæi cum Romanis & Lacedæmoniis fœdus percusserunt: neque tamen apud Sacros codices reprehenduntur. At verò Iosaphat, cujus exemplum

plum attulerunt, objurgatur quidem quòd cum impiis Regibus initâ societate bellum injustum, quamvis infidelibus, intulisset. Vt tamen intelligamus, non belli societatem sed armorum injustitiam damnari, nemo eidem crimini vertit quòd cum Ioram nefario principe, Dei hoste infensissimo, contra Moabitas conjurasset. Quibus itaque non placet fœdus cum Hæreticis ictum, tot Patriarchas & Prophetas arguant necesse est, atque adeo Pontifices Maximos; quorum sanctitas est supra licentiam calumniæ, fides extra periculum erroris; Pontifices inquam Maximos, quòd interdum ita postulante Christianæ Reip. statu, cum infidelibus pacem inierint & societatem: Quin & ipsum audacter Christum increparent, quòd inter dapum lautitias, & profusam unguentorum fragrantiam, publicanis & peccatoribus in mensâ socius, semina divinæ Veritatis immitteret. Certè dum Christianus orbis sub Imperatorũ crudelitate gemeret, pleriq; ejusdem victoriæ manum in prælio commodabant, cujus immanitati cervicem in Tribunali minimè subduxissent. Romani in Parthos, Christiani in Christianos sub infensis nomini Christiano ducibus militabât: quippe & verè putabant aliam esse vim Religionis, aliam Imperii: neq; credebât se displicere Christo si quæ ipse Cæsaribus reddi jussisset, redderentur. Ita Valentinianus cum Gottis Theodosius cum Arrianis amicitiam contraxit. Certè Constantinus, cognomento Magnus, Religione major, Ethnicos in exercitu suo milites non exauthoravit, à consilio non repulit, à Senatu

non ſummovit, Romanis cærimoniis quas improbabat, non negavit impenſas, & per omnes vias æternæ urbis lætum ſequutus Senatum, vidit placido ore delubra, legit inſcripta faſtigiis Deũ nomina, percunctatus eſt templorum origines: cùmque ab impia Religione abhorreret, impiorum familiaritatem, ſocietatem, arma, conſilia non recuſavit.

QVARE ſi tot Sanctiſſimorum virorum exemplo cum infidelibus Societas licita ſit, quam Rex cum Anglis jam tot annos corroboratam de novo confirmavit, eo certè nomine videtur eſſe laudanda, quòd qui locis in illis antea vexabantur Catholici, ſocietatis noſtræ beneficio tractari cœperint humaniùs: nã ut de Batavis ſileamus, quorũ fœdus à prudẽtiſsimis Regibus magno Galliæ cõmodo fuit inſtitutũ; quis eſt adeò hoſpes in Gallia, vel potiùs in Europâ, qui neſciat non alio fine cum Britanno pactas eſſe nuptias, quàm ut Catholicis qui abeſſent, facilior in patriam reditus eſſet; qui adeſſent, ſecurior Religionis libertas? Sed ut aliquid adverſario concedamus, ſupponamus id factum Politicâ ratione, quæ certè maximum in imperiis pondus habet, potiùs quàm Catholicæ Religionis Amore, (quem eſſe ſingularem in Rege noſtro etiam hoſtes, vel inviti, fatebuntur,) non poſſunt tamen id jure reprehendere quod tam multorum quæ attulimus exemplorum authoritate confirmatur. Quantam ergo faciunt injuriam fidei, qui eam ſalvam eſſe non putant, niſi Regum jus pereat, & gentium jura ſubvertantur? Satis ipſa ſuis, id eſt veris auxiliis tuta, præſtigioſis mendaciis quæ ſolam veritatem

co-

colit, non eget. Itaq; non videmus, cur si licet Christianis habere duces infideles adversus Christianos; iisdem non liceat Hæreticos habere socios contra hostes.

SED BELLVM, aiunt, quod Rex suscepit, injustum est; quia non habet jurisdictionem in Cæsarem: ideo non potest dicere, Tu Cæsar morere, Tu Palatine regna: ô insanæ mentis Theologum; dum Rex à Cæsare dissentit, dum fœderatis auxiliares copias mittit; bellum est, quia in Cæsarem jurisdictionem non habet; in quem si jurisdictionem haberet, non tam bellum, quàm castigatio, quàm judicium foret. At iniustum est quòd ad restituendum Hæreticum Principem (adde etiam Infidelem) susceptum sit. Infidelis sit dummodo legitimus: Infidelem non probamus, legitimum tuemur; Hæreticus est, sed à Deo constitutus, à quo potestas omnis data est: Hæreticum execramur, sed Principem defendimus; quem Deus instituit, restituere conamur: Extorrem alieni laris, & quod infœliciſsimum est, è summâ fœlicitate, non tam suâ culpâ quam hostium acerbitate præcipitatum, in sinum nostrum confugientem admittimus, opem implorantem auxilio levamus. Quid aliud agimus? quàm, dum in unius hominis calamitate misericordiam exercemus, conditionis humanæ recordamur? Quæ est ista adversariorum immanitas, ut quem miserrimum effecerunt, miserabilẽ tamen videri nolint? Si nobis creditis, in hujus exemplo causam nostram agi & in omnes Reges sententiam ferri putabamus. Nam

si Catholicis Hæreticos Principes exterminare liceat, idem sibi licere contra Catholicos Reges Hæretici præsument: Religio quidem & Imperii dignitas mutuâ sese tuentur ope, & in pari consensu optabilem concentum pariunt; tamen utraq; suum jus obtinet, utraque suos terminos distinctos habet: nec Imperio violare Religionem, nec Religioni Imperium abrogare licet. Hæc qui negaverit, Christo hæresin imputet, qui jubet reddatur Cæsari quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo. Ex his vel ipsa luce meridianâ clarius intelligi potest, falsò Christianissimi Regis consilium inimulari, quam Hæreticorum consiliis in fidei perniciem ac quiescat.

NAM Reginam matrem, quis est adeò frontis ejuratæ, qui vel ejus vituperare sapientiam audeat, aut pietatem in dubium revocare possit? Quæ quondam invictissimi Regis Conjux, ejus Eclipsin sua luce reparavit; LVDOVICI Iustissimi parens teneram ejus ætatem ab omni tutam discrimine fovit: Denique tam multiplici prole fœcunda, effecit ut quibus antea contemptui propter Regum orbitatem extiteramus, nunc etiâ invidiâ digni videamur.

ILLVSTRISSIMVM CARDINALEM A RVPEFOCALDA, qui antiquorum Patrum mores innocentiâ, severitatem auctoritate, puritatem integritate vel æmulatur, vel antecedat; qui nihil in vita nisi laudandum aut fecit, aut dixit, ac ne sensit quidem, impietatis arguant necesse est, qui Regis consilium Hæreticis favere comminiscuntur.

ILLVSTRISSIMVM CARDINALEM DE RICHELIEV, in quem unum præsertim spicula con-

convertunt, negare saltem non possunt eum esse Theologiæ studio præcipuum: in qua vel primis adolescentiæ annis ad miraculum excelluit; Pietate clarissimum, ut qui doctissimis libris in lucem editis, Hæreticorũ opiniones non sine maximo fructu confutaverit; Consilio providũ, ut cui celeberrimæ illius victoriæ navalis quâ de perduellibus reportavimus, momenta causáque, quâ valet divina solertia, contulerit; cùm nullâ ex parte caninum dentem quo pruriunt, ejus innocentiæ queant infigere, hoc unum exprobrant, callidũ nimis & perspicacẽ, qui suos sensus abscondat, alienos detegat. Tandẽ gratulamur Galliæ, gratulamur tibi, Cardinalis Illustrissime, cujus incomparabili Sapientiâ factum est ut qui se solos sapere putabant, qui nos antea moribus leves, cultu barbaros, consilio stolidos existimabant, nunc, quæ tua gloria est & fructus noster, profundioris cogitationis & abstrusioris prudentiæ damnent.

AMPLISSIMVM autem Cancellarium, ab omni maledicentiæ licentiâ tutum esse decebat, vel ob hoc unum, quòd omnia incrementa fortunæ Virtuti propriæ debet, atq; adeo in tantum laudandus, in quantum virtus intelligi potest.

MARESCALLVS de Schomberg Hæreticis favebit, contra quos præcipuus belli author non extitit solum, sed etiam periculosissimam tormentorum præfecturam administravit, totiesque in manifestum capitis periculum descendit, ut etiam Ducem de Mayenne, quem suum Hæretici lanium nuncupabant, manu prehensum teneret, cùm

funesto plumbeæ glandis verbere, maximo nostro dolore, maximâ hostium lætitiâ, transfixus occubuit?

TOT Galliæ lumina, tot nobilitate conspicui, tot eruditione præstantes, tot pietate clari, tot rerum usu docti, patriæ amantissimi, Regiæ Majestatis observantissimi, Hæreticos rebelles, quos armis destruunt, consiliis astruent: quam in regno nostro ferro flammâque prosequuntur hæresin, in aliena ditione, suis opibus, suo damno confirmabunt hostilem impudentiam, quæ tantam audeat innocentiam culpare? Inanes malè feriatorum hominum cogitationes, qui credant eam esse nostrûm omnium cæcitatem, ut tam apertæ calumniæ consentiri; eam perversitatem, ut adeo falsis,& in perniciem totius Reip. Christianæ concinnatis argumentis commoveri possimus.

SED quid mirum si Religiosissimi Principis Consilium insectantur? Cùm Regi nostro LUDOVICO semper invicto, sine simulatione pio, sine fastu gravi, sine austeritate severo, sine blanditiis benigno, sine ambitione magnanimo, sine astu prudenti, ipso etiam momento quo tormentis Hæreticorum propugnacula quatit, audent Hæreseos propugnationem objicere? Bellum adeò difficile contra factiones Hæreticorum suscepit, ut quos invicti Reges minimè lacessendos duxerant, quos Prudentia & in Religionem pietate præstantes viri armis subigi posse negârant, mirabili constantia, fœlicitate incredibili obsederit, expugnârit, domuerit. Ergo dum Rex Christianissimus Hæreticos impugnat, Hæresi favet; dum eam

eam exterminare finibus Regni contendit, aliis in Regionibus eam propagare laborat? O ingratum civem, qui Regi suo debitam gloriam invidet! O insulsum Theologum, qui profligatæ Hæresi tantopere favet, ut expugnatorem ejus impugnet! Ergo dum Rex neglectis Aulæ deliciis in exercitu suos ad laborem, non tam imperio quàm exemplo provocat, dum vigilat in castris, dum pugnat in acie, periclitatur in aggere, dum Hæreticas arces expugnat, urbes diruit, copias disipat, Ecclesiis Sacerdotes, Sacerdotibus Ecclesias restituit, exulémque Religionem postliminio tot in oppida, tot in Provincias revocat, & quasi prehensam manu reducit, scelerată nefariorum hominum licentiâ & seditiosis hostium libellis fiet, ut nihil aliud ex tot laboribus & periculis, quàm apud exteros invidiam, apud suos contemptum, apud omnes infamiam, & in se festinatæ senectutis insignia consequatur? Et tamen parum erat tam insigni pietate tam multis laboribus partam gloriam eripere, nisi tantæ innocentiæ tacite periculum minitarentur, non ab Hæreticis quos impugnat, sed à Catholicis quorum securitati pervigil excubat: Nam quo fine, qua mente, fatalem Galliæ, funestam orbi, bonis omnibus execrandam HENRICI semper Magni, cædem, in medium adducunt? nisi ut Regicidis stimulos, Regi terrorem addant? ut quod in Patrem crudelissimè patratum est, in se quoque fieri posse pertimescat? Cur inquam illam communem bonorum omnium calamitatem revocant? nisi ut fœdi spectaculi memoriâ cicatricem jam tum successoris fœlicitate coalescentem exulcerent;

rent; & in dolore noſtro lætitiam captent, qui antea forſitan in publica clade riſum non tenuerant? Feros Leones diceres, qui cæsâ & devoratâ victimâ, hærentem adhuc rictibus cruorem lambunt, & præteritæ crudelitatis gaudia taciti repetunt. Neque tantùm (Deum immortalem!) cædis tam horrendæ memoriam refricant, ſed etiam quà ſunt impudentiâ, juſto Dei judicio illatam eſſe proclamant, atque ita cædem defendunt, cujus juſtam eſſe cauſſam contendunt; ſimúlque ſuam in nos hoſtilem voluntatem manifeſtò produnt: qui tam ſceleratam manum Dei Iuſtitiæ attribuunt. Quis enim potuiſſet tam atrox parricidium defendere, niſi qui poſsit commiſiſſe?

ITAQUE Rex Regum maxime, tuum eſt non magis hoſtium contumelias contemnere, quàm noſtrum omnium, quotquot Eccleſiaſtici ordinis ſumus, pietatem tuam prædicare, laudare Religionem, ſecuritatem procurare, cùm in illa tuæ Majeſtatis inauguratione nos inimicos futuros inimicis tuis promiſerimus. Perge fœliciter, procede audacter, regna tranquillè, triumpha fortiter, ingruant hoſtes, contumeliæ ſæviant, blaſphemi intonent; tibi ad ſalutem, ad victoriam, ad triumphum votis quàm poterimus ardentiſſimis aditum parabimus, aſſiduis precibus ſollicitabimus, mittat tibi Auxilium de Sancto, impleat omnes petitiones tuas, memor ſit omnis ſacrificii tui; omne Conſilium tuum confirmet, ut quotquot imperio tuo ſubjacemus, lætemur in ſalutari tuo & in nomine Dei noſtri, Regiſque proſperitate, magnificemur. Quantum verò ad iſtos libellos attinet, placuit nobis omnibus, tam impios, ſceleratos, & in perniciem totius Gal-

liæ

liæ concinnatos libros, noſtra ſententia & authoritate damnare. Eos itaque ſeditioſos, & plurima contra fidei puritatem & pacis tranquillitatem, continentes, atque ita bonis omnibus execrandos & deteſtandos, damnavimus & damnamus. DATUM Lutetiæ, Cleri Generalis Comitiis, decimo tertio Decembr. Anno 1625.

De mandato Illuſtriſſimorum & Reverendiſſimorum Cardinalium, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, totiuſque cœtus Eccleſiaſtici, in Comitiis generalibus Cleri Galliæ conſtituti.

LEONORIUS DESTEMPES, E. Carnotenſis.

Extraict du priuilege du Roy.

PAr Lettres Patentes du Roy, données à Fontainebleau, le 4. Septembre, 1625. Signées, SAVARY; Il eſt permis, pendant cinq ans, à ANTOINE ESTIENE, Imprimeur ordinaire de ſa Majeſté; Outre les trois liures des Edicts du Clergé, déja publiés d'imprimer encor tous les autres Edicts, Lettres Patentes, Arreſts, & autres choſes concernant les affaires du Clergé de France, qui luy ſeront par cy apres baillées par les Agents Generaux dudit Clergé : Auec defenſes à tous autres, de les Imprimer, alterer, vendre, ny diſtribuer, d'autre impreſſion que dudit ESTIENE, à peine de mille liures d'amende, confiſcation des exemplaires; & de tous deſpens dommages & intereſts.

y.

nées à
625.
endant
Impri-
s trois
ubliés
s, Let-
s con-
ce, qui
Agents
enſes à
endre,
dudit
amen-
le tous